

Tertie partis libri Pastoralis cure

quælibet rapit

et vestimentum pauperibus largitur: sed tamen anime vel corporis iniquitate pollutus: quod minus est iusticie obtulit: et quod maius est culpe: sua deo dedit: et se dyabolo. **Et contra admonendi sunt qui ad huc aliena rapere contendunt: ut sollicitè audiant: quid veniens in iudicium dominus dicat. Et namque: Esurivi: et non dedistis mihi manducare. Sitiui: et non dedistis mihi potum. Hospes eram et non collegistis me. Nudus: et non operuistis me. Infirmus: et in carcere: et non visitastis me. Qui bus etiam promittit dicens: Discedite a me maledicti in ignem eternum: qui preparatus est dyabolo et angelis eius. Ecce nunc quæ audiant: quia rapinas et alias quaslibet violentiam commiserunt: et tamen eterne gehenne ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est: quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt: si tanta animadversione feriuntur: qui sua indiscrete tenuerunt. Pèpendant quo eos obliget reatu res rapta: si tali subiecit non tradita. Pèpendant quid meretur iniusticia illata: si tanta percussione digna est pietas non impens. Cum aliena rapere intendunt: audiant quod scriptum est. **Ne ei qui multiplicat non sua: Et que quo aggravat contra se densum lutum. Avaro quippe densum lutum contra se aggravare est: terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Cum multiplicare larga habitatiois spacia cupiunt. Audiant quod scriptum est. **Ne qui coniugatis domum ad domum: et agrum agro copulatis: usque ad terminum loci. Num quid habitabitis soli vos in medio terre? Et si aperte diceret: Quousque vos extenditis: qui habere in communi mundo consortes minime potestis. Coniunctos quidem premittis: sed contra quos valeatis extendere semper invenitis. Cum augedis pecunijs inbiant: audiant quod scriptum est. **Avarus non implebitur pecunia: et qui amat divitias: fructus non capiet ex eis. Fructus quippe ex eis capiet: si eas bene spargere non amando voluisset. Qui vero eas diligendo retinet: hic itaque sine fru-********

ctu derelinquet. **Luz repleri cunctis simul opibus inardescunt: audiant quod scriptum est. Qui festinat ditari non erit innocens. Profecto enim quia augere opes ambit: vitare peccatum negligit: et more avium captus cum escam terrenarum rerum avidus conspiciat: quo strangule peccati laqueo non agnoscit. Cum quelibet presentis mundi lucra desiderat: et que de futuro damna patiuntur: ignorant. Audiat quod scriptum est. **Hereditas ad quam festinat: in principio in nouissimo benedictione carebit. Ex hac quippe vita incium ducimus: ut ad benedictionis sortem in nouissimo veniam. Qui itaque in principio hereditari festinat: sortem sibi in nouissimo benedictionis amputat: quia dum per auaricie nequitiam hic multiplicari appetunt: illic ab eterno patrimonio exheredes sunt. Cum vel plurima ambiunt: vel obtinere cuncta que ambigerint: possunt. Audiat quod scriptum est. **Quid prodest homini si totum lucretur mundum: anime vero sue detrimentum faciat? Et si aperte dicat veritas. **Quid prodest homini si totum mundum quod extra se est congregat: sed solum quod ipse est: damnat. Plerumque autem citius raptorum auaricia cor riget: si in verbis admonentis que fugitiua sit presentis vita monstret: si eorum ad mediam memoria deducat: qui et ditari in hoc mundo diu conati sunt: et tamen in adeptis diuitijs diu manere nequiverunt. Quibus festina mors repete et simul abstulit quicquid eorum nequicia: nec simul: nec repente congregauit: qui non solum hic rapta reliquerunt: sed secum ad iudicium causas rapine detulerunt. Horum itaque exempla audiant que in verbis suis perculdubio et ipsi contemnunt: ut cum post verba ad cor redeunt: imitari saltem quos iudicat: erubescant.********

De diuerso modo admonendi eos qui nec aliena appetunt: nec sua largiunt: atque eos qui et ea que habent tribuunt: et tamen aliena rapere non desistunt.
Capitulum, XXII.